

et saepe dicemus: hunc librum de senectute ad te misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristoteli, ne parum esset auctoritatis in fabula: sed M. Catoni seni, quo majorem auctoritatem haberet oratio; apud quem Laelium et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem. Qui si eruditus videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito Graecis litteris, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? jam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

II. *Scipio*. Saepenumero admirari soleo cum hoc C. Laelio, cum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod numquam senectutem tibi gravem esse senserim: quae plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere. *Cato*. Rem haud sane difficilem, Scipio et Laeli, admirari videmini. Quibus enim nihil opis est in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis est aetas: qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturae necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus: quam ut adipiscatur, omnes optant, eandem accusant adeptam: tanta est inconstantia stultitiae, atque perversitas! Obrepere, ajunt, eam citius, quam putassent. Primum, quis coëgit eos falsum putare? qui enim citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepat? Deinde, qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum? Praeterita enim aetas, quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. Quocirca, si sapientiam meam admirari soletis, (quae utinam digna esset opinione vestra, nostroque cognomine!) in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam deum, sequimur, eique paremus: a qua, non verisimile est, cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint,